



25  
26  
27  
28  
29  
30  
31  
32  
33  
34  
35  
36  
37  
38  
39  
40  
41  
42  
43  
44  
45  
46  
47  
48  
49  
50  
51  
52  
53  
54  
55  
56  
57  
58  
59  
60  
61  
62  
63  
64  
65  
66  
67  
68  
69  
70  
71  
72  
73  
74  
75  
76  
77  
78  
79  
80  
81  
82  
83  
84  
85  
86  
87  
88  
89  
90  
91  
92  
93  
94  
95  
96  
97  
98  
99  
100  
101  
102  
103  
104  
105  
106  
107  
108  
109  
110  
111  
112  
113  
114  
115  
116  
117  
118  
119  
120  
121  
122  
123  
124  
125  
126  
127  
128  
129  
130  
131  
132  
133  
134  
135  
136  
137  
138  
139  
140  
141  
142  
143  
144  
145  
146  
147  
148  
149  
150  
151  
152  
153  
154  
155  
156  
157  
158  
159  
160  
161  
162  
163  
164  
165  
166  
167  
168  
169  
170  
171  
172  
173  
174  
175  
176  
177  
178  
179  
180  
181  
182  
183  
184  
185  
186  
187  
188  
189  
190  
191  
192  
193  
194  
195  
196  
197  
198  
199  
200  
201  
202  
203  
204  
205  
206  
207  
208  
209  
210  
211  
212  
213  
214  
215  
216  
217  
218  
219  
220  
221  
222  
223  
224  
225  
226  
227  
228  
229  
230  
231  
232  
233  
234  
235  
236  
237  
238  
239  
240  
241  
242  
243  
244  
245  
246  
247  
248  
249  
250  
251  
252  
253  
254  
255  
256  
257  
258  
259  
260  
261  
262  
263  
264  
265  
266  
267  
268  
269  
270  
271  
272  
273  
274  
275  
276  
277  
278  
279  
280  
281  
282  
283  
284  
285  
286  
287  
288  
289  
290  
291  
292  
293  
294  
295  
296  
297  
298  
299  
300  
301  
302  
303  
304  
305  
306  
307  
308  
309  
310  
311  
312  
313  
314  
315  
316  
317  
318  
319  
320  
321  
322  
323  
324  
325  
326  
327  
328  
329  
330  
331  
332  
333  
334  
335  
336  
337  
338  
339  
340  
341  
342  
343  
344  
345  
346  
347  
348  
349  
350  
351  
352  
353  
354  
355  
356  
357  
358  
359  
360  
361  
362  
363  
364  
365  
366  
367  
368  
369  
370  
371  
372  
373  
374  
375  
376  
377  
378  
379  
380  
381  
382  
383  
384  
385  
386  
387  
388  
389  
390  
391  
392  
393  
394  
395  
396  
397  
398  
399  
400  
401  
402  
403  
404  
405  
406  
407  
408  
409  
410  
411  
412  
413  
414  
415  
416  
417  
418  
419  
420  
421  
422  
423  
424  
425  
426  
427  
428  
429  
430  
431  
432  
433  
434  
435  
436  
437  
438  
439  
440  
441  
442  
443  
444  
445  
446  
447  
448  
449  
450  
451  
452  
453  
454  
455  
456  
457  
458  
459  
460  
461  
462  
463  
464  
465  
466  
467  
468  
469  
470  
471  
472  
473  
474  
475  
476  
477  
478  
479  
480  
481  
482  
483  
484  
485  
486  
487  
488  
489  
490  
491  
492  
493  
494  
495  
496  
497  
498  
499  
500  
501  
502  
503  
504  
505  
506  
507  
508  
509  
510  
511  
512  
513  
514  
515  
516  
517  
518  
519  
520  
521  
522  
523  
524  
525  
526  
527  
528  
529  
530  
531  
532  
533  
534  
535  
536  
537  
538  
539  
540  
541  
542  
543  
544  
545  
546  
547  
548  
549  
550  
551  
552  
553  
554  
555  
556  
557  
558  
559  
560  
561  
562  
563  
564  
565  
566  
567  
568  
569  
570  
571  
572  
573  
574  
575  
576  
577  
578  
579  
580  
581  
582  
583  
584  
585  
586  
587  
588  
589  
590  
591  
592  
593  
594  
595  
596  
597  
598  
599  
600  
601  
602  
603  
604  
605  
606  
607  
608  
609  
610  
611  
612  
613  
614  
615  
616  
617  
618  
619  
620  
621  
622  
623  
624  
625  
626  
627  
628  
629  
630  
631  
632  
633  
634  
635  
636  
637  
638  
639  
640  
641  
642  
643  
644  
645  
646  
647  
648  
649  
650  
651  
652  
653  
654  
655  
656  
657  
658  
659  
660  
661  
662  
663  
664  
665  
666  
667  
668  
669  
670  
671  
672  
673  
674  
675  
676  
677  
678  
679  
680  
681  
682  
683  
684  
685  
686  
687  
688  
689  
690  
691  
692  
693  
694  
695  
696  
697  
698  
699  
700  
701  
702  
703  
704  
705  
706  
707  
708  
709  
710  
711  
712  
713  
714  
715  
716  
717  
718  
719  
720  
721  
722  
723  
724  
725  
726  
727  
728  
729  
730  
731  
732  
733  
734  
735  
736  
737  
738  
739  
740  
741  
742  
743  
744  
745  
746  
747  
748  
749  
750  
751  
752  
753  
754  
755  
756  
757  
758  
759  
760  
761  
762  
763  
764  
765  
766  
767  
768  
769  
770  
771  
772  
773  
774  
775  
776  
777  
778  
779  
780  
781  
782  
783  
784  
785  
786  
787  
788  
789  
790  
791  
792  
793  
794  
795  
796  
797  
798  
799  
800  
801  
802  
803  
804  
805  
806  
807  
808  
809  
810  
811  
812  
813  
814  
815  
816  
817  
818  
819  
820  
821  
822  
823  
824  
825  
826  
827  
828  
829  
830  
831  
832  
833  
834  
835  
836  
837  
838  
839  
840  
841  
842  
843  
844  
845  
846  
847  
848  
849  
850  
851  
852  
853  
854  
855  
856  
857  
858  
859  
860  
861  
862  
863  
864  
865  
866  
867  
868  
869  
870  
871  
872  
873  
874  
875  
876  
877  
878  
879  
880  
881  
882  
883  
884  
885  
886  
887  
888  
889  
890  
891  
892  
893  
894  
895  
896  
897  
898  
899  
900  
901  
902  
903  
904  
905  
906  
907  
908  
909  
910  
911  
912  
913  
914  
915  
916  
917  
918  
919  
920  
921  
922  
923  
924  
925  
926  
927  
928  
929  
930  
931  
932  
933  
934  
935  
936  
937  
938  
939  
940  
941  
942  
943  
944  
945  
946  
947  
948  
949  
950  
951  
952  
953  
954  
955  
956  
957  
958  
959  
960  
961  
962  
963  
964  
965  
966  
967  
968  
969  
970  
971  
972  
973  
974  
975  
976  
977  
978  
979  
980  
981  
982  
983  
984  
985  
986  
987  
988  
989  
990  
991  
992  
993  
994  
995  
996  
997  
998  
999  
1000





3

O R A T I O  
I N  
V A N A M G L O R I A M  
Q V A M  
E X  
P R A E P O S T E R A F O R T I T V D I N E  
A V C V P A N T V R  
N O N N V L L I  
L I T E R A R V M S T V D I O S I  
*III. NON. DECEMBR. A. M DCC XXVII.*  
H A B I T A  
A  
D. IO. ZACHARIA PLATNERO, P. P.  
ACAD. LIPS. h. t. RECTORE.

---

L I T E R I S I M M A N U E L I S T I T I L.





VIRI  
MAGNIFICI, SVMME REVERENDI,  
EXCELLENTISSIMI, CONSVLTISSIMI,  
EXPERIENTISSIMI, SPECTABILIS, PRAE-  
NOBILISISMI, CLARISSIMI,  
ET VOS ACADEMIAE CIVES GENEROSIS-  
SIMI NOBILISSIMIQVE,  
PATRONI, FAVTORES, AMICI,  
OMNI OBSERVANTIA, PIETATE, HONORE  
COLENDI!

**G**Loriae studio, laudisque amo-  
re optimum quemque tra-  
hi, inter omnes satis con-  
stat, nec existimandum est,  
hoc laudis desiderium, quod omnium  
animos erigit, confirmat, ad egre-  
gia

gia facinora accendit, recreat, vitio laborare, modo ratione procedat, et modus ipsi constituatur. In primis videndum est, vt, Sallusti verbis vtar, virtutis via ad gloriam grassemur, nisi popularem famam et gloriolae vmbra, quam honestam bonorum existimationem, consecrari malimus. Vmbra dixi. Nam ita comparata est laudis dignitas, vt illos, qui eius auidi sunt, illamque anxie sectantur, illudat, fugiatque; fugientes vero et inuitos consequatur. Quam arduum vero sit hanc eminentis virtutis laudem, qua nihil ad omnia tempora vtilius, nihil ad vitam publicam, et priuatam elegantius inueniri potest, ab infucatae gloriae imagine secernere, ii norunt, qui humanum ingenium, variis, diuersisque inter se pugnantibus naturae studiis, cupiditatibusque, conflatum, paulo studiosius examinarunt. Eos in primis mihi intuenti, qui in humanitatis literarum, bonarumque artium studio versantur, saepe admirationem mouit varius et dispar prorsus,  
nomi-



nominis celebritatem aucupandi modus. Videas nonnullos, et nisi me omnia fallunt, plures, qui spretis seculi, voluptatum, ac vanae gloriae illecebris, seueriori lege proficere audent, et in virtutis, pietatis, et industriae ornamentis omnem laudem positam esse existimant: quorum egregia indoles, tanquam lumen aliquod, obscuratis ceteris, praelucet, omniumque bonorum animos in se conuertit et inuitat: Et sane optandum est, ut hi in proposito persistant, aliosque exemplo suo erudiant. Non pauci tamen reperiuntur, qui inanibus pompis gauisi, in arduis, vecordia torpidi, rerum leuissimarum studio, quid? animi prauitatibus omnique vitiorum opere, in summam gloriam sibi eundum esse arbitrantur. Hominem, natura sua incredibili rerum cognoscendarum ardore flagrare constat, quam discendi nouaque noscendi cupidinem, a teneris vsque annis, ad summam senectutem increfcere, non raro obseruamus: Quosdam tamen deprehen-

des, qui inertissima segnitie languent,  
et hebescunt, ignauumque hunc tor-  
porem cum literarum studio, non so-  
lum consistere posse, sed eundem et-  
iam ad illam, a doctrinae moralis ma-  
gistris adeo celebratam animi tran-  
quillitatem pertinere, opinantur. Hos  
saepe disputantes audias, tempus, quod  
edax rerum omnia destruat, vel ideo  
otio conterendum esse, plebeii quid-  
dam inhaerere in labore, otium nobi-  
litas speciem prae se ferre, quare et  
eos, qui omni cura operaque in libe-  
ralis doctrinae studium incumbunt, ri-  
dent, strenuam, quam ipsi curant, in-  
ertiam extollunt, et quod mirum vi-  
deri possit, ex summo dedecore tur-  
pissimoque vitio, laudis argumentum  
sibi inuenisse videntur. Vix tole-  
rabilior illorum stultitia reputanda est,  
qui contrarium iter seruantes, coeco  
impetu ambitiosius in omnem doctri-  
nam, omneque artium et literarum stu-  
dium ruunt, plures diuersarum rerum  
magistros audiunt, libros multis sum-  
tibus corradunt, nullo obseruato ordi-  
ne,

ne legunt, illud sibi in primis agendum existimantes, vt Πολυμαθεσάτες se gerentes, multa ostentatione de omnibus rebus differere, summa cum contentione de iisdem, quamuis ieiune et exiliter, disputare, et populari assentationem, mirationemque, consequi possint: De quibus literarum helluonibus, qui omnia scire cupiunt, constat, eos, quando res publica vitae academicae vsuram postulat, omnia profundissime ignorare. Memoriae enim felicitas, crebriorque vsus, ingenii aciem obtundit, vt quae nullo ordine, soli memoriae mandata fuerunt, confusa, turbata, permixta, proferantur. De iis nihil dico, qui neglecto omnis corporis cultu, animum ad intolerabilem superbiam inflatum, scissa ac sordida tunica velant, et philosophum ex barba hispida iudicandum esse putant, quare saepe scissilem pannum ostendunt, vt superbiae, quae palam prospiciat, locus concedatur; quale sordidum hominum genus, iam dum veteres

res satyrici, et inter hos omnium princeps, Lucianus, facete admodum exagitauerunt. Minus etiam illi vlla commemoratione digni videntur, qui feram et agrestem arrogantiam, non solum oris oculorumque contumacia, sed aspero etiam vestitu, efferre, omnibus quasi machinis adhibitis, laborant, et sic longissime ab humanitate et liberali doctrina, cuius tamen nomen profitentur, recedunt: illos notare placet, qui masculo et parabili cultu haud contenti, nimium venustati student, ac fere muliebri ornatu incedunt: Quamquam enim negandum non sit, liberalem faciem, et decorum corpus, huiusque exquisitiorem paulo ornatum, omnium fere animos commouere et ad se trahere; nimium tamen in his rebus positum studium, nouaque nomina vestium insolentius conquisita, cordatiorum animos offendunt, qui semper suspicantur, subesse aliquid leuitatis, vel vesani amoris, quo hi mulierculas depereunt, vel Gitones Tryphaeacinas illicere putant, quae ipsos molliculos

culos alant, et suis sumtibus parsimoniam parentum sustentent. His verba Martialis dicta sunt: Cupias non placuisse nimis. Dies deficeret, Auditores, si omnem μικροφιλοτιμίαν, seu illiberalem gloriae cupiditatem, qua optimi saepe, et cum maiorum imaginibus, tum ingenii indole, praestantissimi iuuenes, laborant, iam vberius exponere vellem. Ne igitur in vos, Viri iuuenes laudatissimi, quos in oculis fero, quos flagrantissimo amore amplector, in quorum salute, commodis, opportunitatibus, omnem meam curam defigo, acerbiores censuram exercere videar, alios praetereo, qui omne tempus, omnemque pecuniam in corpore, vario, et artificioso motu exercendo, consumunt, ingenii vires negligunt, et opprimunt, nec tamen vitam ad certam rationis normam, et rei militaris, vel aulicae usum dirigunt; illos ergo taceo, qui noua, peregrinaque priscis, et patriis, semper praeferenda existimant, et in nouandi studio sibi, non, quod pueri in faba, reperisse vident-

videntur, quo *νεωτερισμῶ* pruritu saepe  
optimi adolescentes ventosa superbia  
intumescunt: Nec eos persequar,  
qui recentium prorsus incuriosi, anti-  
qua extollunt, res horrida vetustate  
obsoletas eruunt, veterum dogmata in  
omni doctrina sola proponenda, imi-  
tandaque esse contendunt: Nec eos  
atingam, qui cruda adhuc studia in  
forum, cathedram, bibliopolium, pro-  
pellunt, et sibi nascentibus eloquen-  
tiam induunt, de quibus praecocibus in-  
geniis Quintilianus, illa non temere  
vnquam ad frugem peruenire, iam  
suo tempore pronunciauit; Illos et-  
iam praetereo, qui omnem laudem  
fastidiosius contemnunt, seque sem-  
per infra aliorum aestimationem me-  
tiuntur, nullam aliam ob causam,  
quam vt mites, lenes, mansueti vide-  
antur aliis, et ab his laudibus cele-  
brentur. Pace vestra licebit in illud  
vanae gloriae genus considerationem  
intendere, quod non pauci ex prae-  
postera fortitudinis laude sibi com-  
parare audent, qui pugnaces, la-  
certo-

certos, praualidi malunt: videri,  
quam ingenui, moderati, honesti.  
Duo vero mihi facienda esse existimo,  
primo, vt ostendam, fortitudinem,  
seu, vt veteres appellarunt, bellicam  
virtutem, nisi consilio legibusque  
contineatur, vitiosissimam, homini  
aeque, et publicae rei perniciosam,  
imo detestabilem prorsus esse, illos-  
que, qui eius impetum iusto tem-  
pore haud frangere norunt, in ciuita-  
te haud tolerandos esse: Alterum, vt  
efficiam, illam efferam animi vim,  
qua aliis iniuriam facere, vel acce-  
ptam, imo aliquando contumeliis et  
scelere paratam, propulsare solent,  
omnium minime cum humanitatis, et  
literarum studio consistere posse, eos-  
que, qui honestissimis artibus erudi-  
ri cupiunt, ab hac feroci arrogantia, et  
palaestricae fortitudinis ostentatione  
alienos prorsus esse debere. Nemo  
vero mihi, spero, vitio vertet, quod  
hanc ingentem dicendi materiam ex  
aliis selegerim: Nostris iam dum  
mentibus infixae sunt, luctuosa illa fa-  
cino-

cinora, quae haud ita pridem, ne-  
scio vtrum miserandorum hominum  
praecipiti consilio, an infelici casu,  
fuere commissa, quae animos omni-  
um intimiori sensu penetrarunt. O-  
culis enim et mentibus adhuc obuer-  
satur, parentum moestissimorum plan-  
gor, matrum lamentabilis complora-  
tio, amicorum luctus, studiosae iu-  
ventutis laudatissimae demissus vultus,  
et triste, quo se contuebantur, silen-  
tium; vester tandem, Academiae Pa-  
tres, animus iusto dolore, indignatio-  
ne, misericordia in varias partes agita-  
tus, et fere dilaceratus. Quid de me  
dicam? Deum immortalem testor,  
vix vllum vnquam sensum imas adeo  
pertentasse medullas, quam ille, ad  
me, qui vix ad rem nostram publicam  
gerendam accesseram, et de laetis au-  
spiciis noui muneris celebrandis, cogi-  
tabam, delatus rumor. Vulnus etiam,  
non sine summo dolore, refricatur,  
quando cogito, almam nostram ma-  
trem, Academiam, et florentissimam  
praestantissimorum iuuenum] coronam,  
a male-



a malevolentissimorum hominum, qui  
in tanto ulcere vngues sunt, obtrecta-  
tione, in odium vocari iniustum et  
summam ex alieno crimine pati iniu-  
riam. Quae cum ita sint, ignoscetis,  
spero, Patres Academiae conscripti;  
et Generosi, Nobilissimique literarum  
Studiofi, si in hac solenni panegyri,  
qua, more a maioribus relicto, leges ab  
iisdem conditae praelegendae sunt,  
quantum in me positum est, eo allabo-  
rauerō, ut quo minus futuro tempo-  
re, optimi iuvenes in eandem cala-  
mitatem trahantur, impediam, et atro-  
cissimis vitiis, quae simulatae virtutis  
specie grassantur, viam ad nostras mu-  
sas intercludam. Quod si hoc dicen-  
do consequi, aut rationibus hanc mei  
propositi partem persuadere nequie-  
ro, redundabit tamen haec in me fe-  
licitas, quod POTENTISSIMI NO-  
STRI REGIS mandatis, muneris à  
Vobis, Academiae Proceres, mihi  
delati, rationi, meae denique volunta-  
ti, quae in vos Academiae ciues pro-  
pensissima est, satisfacete voluerim;  
quare

quare et nullus dubito, vos, <sup>si</sup> eodem  
fauore, quem saepe egregium sensi, et  
me dicentem, esse persecuturos.

Nemo diffiteri sustinebit, atrocissi-  
ma vitia vt plurimum virtutis radici-  
bus niti, iisdemque ali ac sustentari;  
hoc vero inprimis contentiosae illi li-  
bidini conuenire arbitror, qua plures  
incensi, et inconsideratissimae temeri-  
tatis pleni, coeco furore, ingente pe-  
riculo, nullo fructu, in certamina ruunt,  
in aliorum propriaque viscera saeui-  
unt, vitam, sanitatem, fortunam, fa-  
mam, et quae prima nominanda erat,  
aeternam salutem, in praecipitem lo-  
cum, summumque discrimen, com-  
mittunt. Infitum est natura omnibus  
mortalibus, semet ab omni incom-  
modo, molestia, detrimento, conser-  
uandi studium, quare plagas, vulne-  
ra, cicatrices, caedes optare, est  
omnem humanitatem exuere: Neque  
talia quem magis sibi petere posse ego  
existimauerim, quam famem, sitim,  
frigus, aliosque, quos omnes horremus,  
COR-

corporis cruciatus. Itaque non inter-  
nis illecebris, quibus ad voluptates con-  
citamur, hoc pugnandi desiderium ena-  
scitur, sed adumbratae virtutis imagini,  
et gloriolae, quam sectamur, lenoci-  
nio debetur. Saepe miratus sum,  
cur animus in bellando firmior con-  
stantiorque, aequae ac is ad recte faci-  
endum compositus, eodem virtutis  
nomine, a priscis latini sermonis con-  
ditoribus, fuerit insignitus: Sed mirari  
desii, quando populi imperiique Ro-  
mani, aliarumque gentium celebratissi-  
marum origines paulo attentius con-  
sideravi, quarum imperia exiguis ini-  
tiis profecta, ex bellicosissimis homi-  
nibus, alienae opis libertatisque raptor-  
ibus, coaluerunt, et ad summam  
tandem amplitudinem peruenerunt.  
Hi enim populi bellicis laudibus abun-  
dantes, in his omne studium,  
omnemque gloriam collocauerunt,  
cunctaque alia, quae cadere in homi-  
nem possunt, subter se habuerunt, om-  
nem virtutem in animi vigore cor-  
porisque robore ponendam esse existi-  
man-

mantes. Accessit aliorum adulandi libido, qua praeualentiorum imperio subiecti, hos magis corruperunt, quorum animos suis blanditiis insolentius, perniciosâ vanitate inflarunt; ubi et illud dolendum est, eodem contagio, et summorum philosophorum dogmata, quae de virtutum heroicarum praestantia conscripta legimus, fuisse infecta. Nec hanc opinionem, tanta annorum serie, tanta exemplorum illustrissimorum varietate confirmatam, radicitus euellere cuidam dabitur, nisi considerauerit, fortitudinem, animique constantiam, non ex sua natura, et propria, qua pollet, indole, pulchram, laudabilem, salutarem esse, sed ex legitimo, moderato, et innocenti suo usu. Quis enim, auditores, vlla laude dignam censebit audaciam, et effrenatam in alios violentiam hominis furentis, rabieque agitati? Quis faciem infucatam foeminae prostitutae, formae honestae, mulieris incorruptae, praefereendam putabit? Quis tauri, rabiosum impetum magis mirabitur, quam leonis

nis intrepidam continentiam? Ita enim, et corporis, et animi dotes comparatae sunt, vt aequae in salutem ac perniciem, aequae in honorem ac opprobrium, aequae in laudem ac vituperium, ab hominibus conuertantur. Cur itaque vnus gladiatoria audacia maiori in pretio habenda erit, magisque imitanda, quam compositi mores, miteque ingenium probi hominis? Inficiari quidem haud nequi uero, hunc uesanum gloriae militaris amorem, inter barbaros ortum, a maioribus propagatum, a philosophis, historiarum et fabularum, sic dictarum, romanensium scriptoribus auctum, a tyrannis, qui, vt insatiabilem regnandi cupidinem explerent, aliorum animos ad hoc gloriae genus incitare debuerunt, summo studio folum altumque, tam profundas in omnium animis egisse radices, vt liceat de integritate, sanctitate, de ueritatis studio, temperantia, castimonia, aliisque uirtutibus dubitare, haud uero de animi fortitudine; imo obseruamus, vix hominem omni sce-

B

lere

lere, omnique flagitio contaminatiffimum, in tantam omnibus contemptio-  
nem venire, quam si quis demiffiori paulo, ac timido videatur animo. Illud tamen praetereundum haud est, virtute hac bellica multos non tam praeditos esse, quam velle videri, quid? si illud exploratiffimae veritatis esse reor, magniloquos thrafones, qui intolerantiffime de sua virtute gloriantur, quando hanc tantopere venditam virtutem aliis explorandi datur oportunitas faepe timidos, omnis animi omnisque confilii inopes, pauidos trementes, videri, ita, vt faepe pari leuitate iniurias aliis inferant, et illatas non sine fummo dedecore deuorent. Quare et hoc extra omnem dubitationem positum esse existimamus, et aliquoties experti cognoscimus, illud proteruum genus hominum, qui alios, ipsis longe meliores despiciunt, nauci habent, perulanter, et sine vlllo argumento, laceffunt, ex facili aliorum victoria sibi triumphos quaerunt, aliis ignem, ac certamini materiam subdunt,  
con-

conflictui praesunt, aliorum causa suscipiunt, pro iis numerata pecunia ferunt, manusque conferunt, sicque animam venalem habent, quique in turpi hoc negotio omne saepe tempus consumunt, ex eo sibi victum et lucrum quaerunt, qui aliis illud Iuuenalis occinunt:

Aude aliquid stygiis flammis et carcere dignum,

Si vis esse aliquis: pietas laudatur et alget.

Hos inquam, quos stolidae et athleticae gloriae magistros appellare possis, certo statuendum est, quam longissime a vera virtute animique magnitudine, quam prae se ferunt, esse remotos: Dantur tamen quidam, ast pauci, qui nefario, et saepe ridiculo furore agitati, omnibus bellum inferre gestiunt, illud vero, ut plurimum admodum infeliciter, et cum ignominia,

nia, plagis, vulneribus obruti, perficiunt, quorum speciem egregie, in illa notissima Hispanorum fabula, inuictissimi herois Domini Quixoti, adumbratam legimus. Et sane hi commiseratione, quam reprehensione digniores videntur. Eiusmodi vero debachantium scelus, cedendo potius frangendum est cordatioribus, quam resistendo. De Aristippo Philosopho, a Diogene Laertio, grauissimo autore, memoriae proditum legimus, eundem, cum ipsi quis contumeliosissime malediceret, abiisse, et cum alter illum insequeretur, ac cur fugeret, sciscitaretur, quoniam tu, dixit, maledicendi potestatem habes, ego non audiendi. Omnes qui liberalioris paulo mentis sumus, illam nonnullorum delirationem ridemus, qui, vt aliis, imprimis amasiunculis, se robustos, animo magnos, ac excelsos, illarumque amore dignos praebeant, cum syluestribus tauris, valentissimis bestiis, in arenam descendunt, et non sine summo discrimine congregiuntur; sed quae-

so,



so, nonne eadem insania laborant, qui ad frigidam, et ieiunam hominis amentis, aut proteruioris iniuriam expiandam, aduersarium, et viribus, et armorum exercitio valentiozem, ad arma vocant, cum eo congregiuntur, et plagas vulneraque in piaculum, et vitionem accipiunt, vapulant, et de re ex voluntate, egregieque gesta, gloriantur? vt taceam tales saepe leuem ac mentitam, quam inter viliores homines, rixarum autores, metuunt, contumeliam vt effugiant, maximis et grauissimis infamiae fluctibus abripi, ex quibus vix per vitae mensuram emergere datur. Eo etiam vesanae virtutis non pauci progrediuntur, vt si forte imprudentia, aut iracundia, aut mentis inter pocula alienatione, lapsi fuerint, aliosque grauiter offenderint, errorem, cuius tamen conscii sunt, acriter defendant, nec ab ipso, nisi sauciati recedant: quam parum vero haec cum humanitate, aequitate, rectae rationis vsu, et quam omnes ex-

tollunt, honestate conueniat, quilibet facile perspicere poterit. Iam vero in tanta rerum dicendarum varietate, maiorem vestrae A. O. O. H. patientiae rationem habendam esse, quam argumentorum inueniendorum, quibus nefandus ille digladiandi impetus profligari queat, ego nunc quidem sentio; quare ne vestra in me, quam audiendo testamini voluntate abutar, ad ea transeo, quae a sacratissimis legum diuinarum interpretibus nobis ex sacris literis quotidie inculcantur, quae omnibus iis, quae iam prolata fuerunt, longe digniora, grauiora, et ad persuadendum, magis apposita existunt. Nec moneo hanc inhumanam lites ferro dirimendi licentiam, sanctioribus et seuerissimis legibus, apud nos, aliosque cultiores populos, esse coërcitam prohibitamque. Nec vrgeo, quantum rei publicae interfit, ut securitas aduersus facinorosorum hominum proteruiorem audaciam crudelitatemque custodiatur, quam prouinciam aliis concedo, qui rerum sacrarum, iurium, ipsius maxi-  
me

me eloquentiae, magis consulti sunt. Sed breuissimis saltem ostendam, hanc acriorem pugnandi cupiditatem, tunc maxime illiberalem, indecoram, turpem ac scelestam fieri, quando illa optimi, omnibusque rebus ornati, ac honestissimis artibus erudiendi adolescentem inficiuntur. Omnes, et me tacente, cognoscere arbitror, literarum cultoribus longe praestantiorem, et propinquiorem, gloriam capeffendi, viam esse apertam, modo hanc ingrediantur, et recte insistant. Quis enim cordatior illos honores non suspicit ac veneratur, quos augustiores, aliorum saepe ad inuidiam, ii adipiscuntur, qui literis bonisque artibus constantem olim nauauerunt operam? Nonne bonae indolis morumque compositorum elegantia, excellentis ingenii acumen, perspectae pietatis, virtutis, industriaeque commendatio, praclarae eruditionis et doctrinae laus; nonne haec omnia, et singula, longe illustriora sunt, et ad nominis celebritatem acquirendam magis idonea,

B 4

quam

quam bellica virtus, quae saepe, nisi ingenium et prudentia coniuncta sint, in gregario milite tanto excellentior est, quo is magis hebes stupidusque fuerit, et infelicius negligentiusque educatus. His enim nostris temporibus barbaras, ad Orientem fitas gentes, pharmacis, quae homines prorsus amentes reddunt, ad fortitudinem, in committendis proeliis concitari, res notissima est, ut sic quis ex eo inferre possit, fortitudinis exsuperantiam, ad insaniam procedere. Mansuetiores sunt musae, haud agrestes, haud feroces, nec illarum artes, elegantiorumque literarum studia alio, quam mitiori, et ad humanitatem in primis composito animo excipi et foueri possunt: Ne prolixior sim, nolo ad singula doctrinarum genera descendere, et fusius demonstrare, quam parum consona, quam indecora, quam turpis in iis haec athletica ferocitas sit, qui studia sua coelestium rerum meditationi, et sanctissimis religionis nostrae

my-

mysteriis dicauerunt, quae in eo  
in primis diuinam suam originem te-  
stantur, quod ab illa, supra nota-  
ta, philosophorum arrogantia, et  
illiberali virtutis heroicae commen-  
datione, quam longissime recedant.  
Nolo ostendere, quam parum haec  
animi impotentia iis conueniat, qui  
iurium disciplinas principali studio  
exercent, non vt legicreparum et ra-  
nunculorum vim maximam augeant;  
sed vt res diuinas humanasque, ci-  
ues denique, omnesque bonos, contra  
scelestorum hominum iniurias de-  
fendant. Nec nostrae medentium  
artes hanc inportunam crudelita-  
tem postulant. Quamquam enim  
negandum non est, ad grauiores  
morbos, quando salutis causa, tristio-  
ra remedia, ferrum et ignis adhi-  
benda sunt, animo paulo duriori  
et inexorabili, opus esse, quo me-  
dicus aegrorum eiulatu haud ad  
perniciosam commiserationem per-  
ducatur. Ast inter hanc, quam in

hominum salutem adhibere solemus, animi firmitatem, et ad pestiferam illam labem, quam hactenus reprehendi, qua proprium aliorumque exitium paratur, maximam positam esse distantiam omnes cognitum habent. Audio hic obloquentes nonnullos, et in nostris academiis, inter alios ornatissimos iuvenes, versari quosdam nobili genere natos, qui, ut imaginum splendorem, generisque claritudinem tueantur, nouisque honorum incrementis augeant, vitam ad rei militaris usum componunt, et pacis artibus animum ad bellicam virtutem instruunt, hos acriorem paulo animi vigorem decere, iisque, si forte eodem abrepti, contra seueriores leges commiserint, faciliorem veniam impunitatemque dandam esse. Ast qui talia loquuntur, falsam sibi virtutis persuasionem induunt, et se veram fortitudinem prorsus ignorare profitentur. Vera enim virtus,  
qua

qua bellicae laudes, summi illi honores, triumphus, aliaque victoribus debita proemia parantur, non iniquiori, alios petulanter aggrediendi libidine, non furioso arma inferendi impetu, non rigida effrenique audacia, non obstinata pertinacia, non morosa superbia, et omnium rerum, ac leuioris offensusculae intolerantia absoluitur, ut multi sibi in animum inducere videntur. Potius res ipsa, et viri, qui longiori rei militaris usu, atque exercitatione praediti sunt, testantur, tales à militis officio, et bellicae virtutis laude, quam longissime esse disiunctos. Nolo quidem de hac castrensi fortitudine differere, cuius et me omnino expertem, profususque ignarum lubens profiteor. At enim vero, quantum coniectura assequi possum, non animose solum et fortiter, sed et considerate ac prudenter omnia agere, nihil extimescere, nihil, quod homini

mini accidere potest, intolerandum putare, hostium irruentium impetum aequali animo sustinere, ac propulsare, nulla re perturbari, omnium rerum inopiam, coelique inclementiam patienter ferre, imperantibus ad nutum obtemperare, se in omnibus rebus, arduis ac leuioribus, strenue ac industrie gerere, erga victos generoso, erga infontes misericordi, erga socios aequali et composito animo esse, haec boni militis partes, hoc officium, haec fortitudo esse videtur. De iis nihil dico, qui in vestibulis aedium palatarum vitam consumendam sibi proponunt. Tales enim in summis aularum fastigiis collocati, quam toleranter, quam placida fronte, et vultu bellissimo omnia ferre, quantum silere, quantum dissimulare debeant, omnibus notum esse arbitror, qui quasi praetereuntes aulicam vitam, vel procul adspexerunt.

Manet



Manet itaque haec legibus no-  
stris laus, quibus barbari illi horri-  
darum gentium mores profligantur,  
duellorumque insania exterminatur.  
Nec habemus, cur harum prudenter  
latarum legum seueritatem accuse-  
mus, cum illae ad vitae securitatem,  
existimationis integritatem, religio-  
nis custodiam, publicae tranquillita-  
tis incrementum attineant egregieque  
faciant. Virgilii verbis vos hortor  
obtestorque

Ne iuuenes tanta animis adsuescite  
bella,

Neu patriae validas in viscera verti-  
te vires.

Faxit Numen Optimum Maximum,  
vt sub POTENTISSIMI NOSTRI  
REGIS auspiciis, et sub legum sapien-  
tissime latarum praesidio Academia flo-  
reat et in dies rerum diuinarum reue-  
ren-

rentia, legum obseruantia, disciplinae sanctitate, liberalioris doctrinae abundantia, morum suauitate, nouae et augustissimae ipsius dignitati fiant accessiones. Cum vero hoc a Deo, communi omnium bonorum fonte, sedula imprimis legum diuinarum humanarumque obseruantia, impetrandum videatur. Leges academiae nostrae seu statuta, vobis iam a Clarissimo, iuriumque peritissimo Domino Eberhardo, qui academiae nostrae a scriniis est, et fidam ac strenuam adhibet operam, praelegentur, quas, vt decenti attentione et reuerentia audiatis, vos, academiae ciues, moneo hortorque.

\* \*

Hae vero sunt leges a maioribus sanctitae, quas seruandas vos, academiae ciues, ad nos accedentes, Rectori promissistis; reuerenter sanctaeque illae habendae sunt, cum omnem, quam laudauimus, vtilitatem nostrae reipublicae impertiantur. Itaque  
vos

vos iterum iterumque rogo ac obtestor, ut id, quod plurimi vestrum hactenus egregie fecerunt, libidines refrenetis, voluptates spernatis, iracundiam teneatis, mores contra nonnullorum effrenatam proteruitatem custodiatis, debitam erga res sacras reuerentiam et Deum Optimum Maximum, pietatem adhibeatis, liberalium artium literarumque studio strenue incumbatis, quae omnia et vobis, et nostrae etiam rei publicae maxime conducere arbitror.

Quod superest, vos, Academiae Patres, et Proceres, monendi estis, ut more solenni et antiquo, in quatuor inclytas nationes dispartiti, suffragia de legendo senatu academico feratis. Cogitetis quaeso, nobis opus esse, viris grauitate, vitae sanctimonia, legum rerumque, quae ad Academiam attinent, peritia praestantiorum, qui mecum, in his simula-

multatibus , tantaque multorum in-  
uidia , illam strenue defendant , et  
in dies ad maiorem honorem di-  
gnitatemque perdu-  
cant.

Dixi.



in  
e-  
e/  
te  
a/  
il  
fo  
et  
et  
n/  
e.

e  
r





4974


ULB Halle 3  
004 850 467




Sb.

V. 17 1/2









B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

Centimetres

3

ORATIO  
 IN  
 VANAM GLORIAM  
 QVAM  
 EX  
 PRAEPOSTERA FORTITVDINE  
 AVCVPANTVR  
 NONNVLLI  
 LITERARVM STVDIOSI  
 III. NON. DECEMBR. A. M DCC XXVII.  
 HABITA  
 A  
 D. IO. ZACHARIA PLATNERO, P. P.  
 ACAD. LIPS. h. t. RECTORE.

---

LITERIS IMMANUELIS TITII.

